

D  
175.  
76.  
67.



N. 5. 07



DISSERTATIO THEOLOGICA  
QVA  
HISTORIAM IESV CHRISTI  
A  
DISCIPLINA  
RELIGIONIS ET THEOLOGIAE  
CHRISTIANAE  
DIVELLI ATQVE SECERNI  
NEQVE DEBERE NEQVE LICERE  
OSTENDITVR

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME VENERANDO DOCTISSIMO  
IOANNE PHILIPPO FRIDERICO DETTMERS

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE IN VNIVERSITATE  
LITERARVM REGIA VIADRINA PROFESSORE PV-  
BLICO EXTRAORDINARIO SCHOLAE REGIAE FRIDE-  
RICIANAE RECTORE MERITISSIMO, SOCIETATIS  
REGIAE LITERARVM ET ARTIVM, QVAE FRANCO-  
FVRTI FLORET, SODALE ATQVE EIVS SECRE-  
TARIO PERPETVO

DIE I IVNII MDCCXCVI  
BENEFICIORVM CAUSA, QVIBVS FRVCTVS EST  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

HENRICVS LVDOVICVS STVCKERT  
MARCHICVS  
S. S. THEOL. CVLTOR.

---

FRANCOFVRTI AD VIADRVN,  
EX OFFICINA APITZIANA.

FRANZ  
UNIVERS.  
ZVIALE

VIRO ILLVSTRISSIMO  
ERVDITIONE MERITIS IN PATRIAM ET BENEFICENTIA  
EXIMIE CONSPICVO  
REGI OLIM A CONSILIIS BELLI MERITISSIMO  
LIBERO BARONI  
DE LAMOTTE  
DOMINO TERRAE TREBVS

NEC NON

VIRO GENEROSISSIMO, SVMME VENERABILI  
VIRTUTE, MERITIS ET LIBERALITATE  
MAXIME INSIGNI  
CANONICO AD TEMPLVM COLLEGIATVM  
HERFORDIENSE  
ARISSELMANN  
DOMINO TERRAE SCHOENEWALDE ETC.



PATRONIS ATQVE FAVORIBVS SVIS

HASCE

STVDIORVM IN VNIVERSITATE  
LITERARIA VIADRINA ABSOLVTORVM

PRIMITIAS

IN AETERNVM

PIETATIS ATQVE GRATISSIMI ANIMI MONVMENTVM

D. D. D.

A V C T O R.

§. I.

**A**d eos, qui fundamentum religionis nostrae subruere consilio ac vi connixi sunt, dum recte sibi persuadebant, hoc subruere, quassato, labefactato, aedificium illius ipsum facile collapsurum esse, pertinent et illi, qui historiam Iesu Christi ad religionem et Theologiam christianam recte cognoscendam et tradendam necessariam esse non opinentur, adeo, ut ex illorum quidem sententia, non nemo esse possit homo christianus, etsi historiae Iesu Christi plane ignarus aut eius tam incuriosus sit, ut hoc religioni et Theologiae christianae damno non duci existimet, si de eius veritate suspensus incertusque dimittatur. Praetermitto cum aliis **D. BARDTIUM**, qui, licet historiae Iesu Christi veritatem, si eam non singulatim, sed summatim vniuersimque contempleris, extra omnis dubitationis aleam positam esse testetur, plures tamen eius partes, tamquam veritates contemplatiuas populo christiano a doctore occultandas esse existimet *a*). Prouoco vero **M. POELITZ** Prof. in Academia equitum Dresdensi, qui in pretio historiae Iesu Christi statuendo non solum cum **BARDTIO** fere consentit *b*), sed totus etiam in eo est, ut cum **Cl. KANTIO** inter-

*a*) Vid. *Briefe über die Bibel im Volkston*. Halae 1782. Tom. I. p. 18. 24 199.

*b*) *In Beiträgen zur Kritik der Religionsphilosophie und Exegese* Lipsiae 1795.

interpretationem, vt omnis scripturae s., sic etiam N. T. *moralem* siue *philosophicam* commendat e); Nec silentio praeterire possum SEMLERVM et STORR d), qui quidem historiae Iesu Christi non omnem vtilitatem adducunt; at eo tamen, quod volebant, vt Euangelia *Matth.* et *Ioannis* non nisi in vsum Iudaeorum et *Ioannis* baptistae discipulorum ad fidem et doctrinam Iesu Christi conuertendorum literis consignata fuerint, negarunt quodammodo eorum necessitatem ac vtilitatem Christianis ex ethnicis conuersis commendandam, quia nempe Euangelistae illi multa de *Iesu Christo* narrant, quae *Marc.* et *Lucas* non habent. Quid dicam de D. IOANNE CHRIST. DOEDERLEIN e), qui quasi arbitrum inter dissidentes agit, dum non magis eum vituperat „qui res a Iesu „Christi factas vt otiosas et viles contemnere ac repudiare „velit.“

e) Interpretatio moralis longe differt ab interpretatione allegorica, Cl. EICHHORNIO cum PRAESIDE nostro bene observante; vtrumque autem S. S. interpretandi genus ab ORIGENE et forte paullo altius a Philone Iudaeo repetendum est, quod docuit idem PRAESES noster doctissimus in *commentatione de Theol. Origenis*, quae exstat apud Virum Cl. LVMPER in *Historia Theologica-critica* patrum T. X. p. 213. lqq. Quod autem periculum a morali S. S. interpretationis genere male intellecto religioni christianae imminet, Cl. HENCKE, ROSENMUELLER aliisque praeceuntibus, docuit STRAUSS in *Dissert. vtrum philosophica scripturae interpretatio, quam commentatus KANTIVS admitti possit in explicando N. T.* Quocum conferas Cl. IACOB in *philosophischen Annalen. Jahrgang I. Stück 52.*

d) Alterum vide in praefatione ad TOWNSONII IV *Evangelia*, alterum in libro: *Ueber den Zweck des Evangelii Ioh.* Tübing, 1787.

e) De necessitate tenendae et tradendae historiae Christi, quam tractationem alioquin egregiam in *opusculis* theologicis legis, Ienae 1789.



„velic“ quam eum „qui ex temeritate et inscitia, vt ait,  
 „omnes de vita Iesu Christi traditiones cupide arripere  
 „easque, nempe originem Iesu Christi regiam, natiuita-  
 „tem Bethlehemi factam, magorum adorationem et  
 „reliqua Anecdota tanquam religionis ac pietatis nutri-  
 „menta plebi christianae offerre festinet.“ Re vera,  
 quod in vsum necessitatemque historiae huius altera nobis  
 dederat manu, altera retrahere videtur. Addo denique  
 IOANNEM CHRIST. FRID. ECK pastorem ecclesiae  
*Lubbecensis* in *Lusatia* inferiori primarium *f*). Nec vir  
 hicce doctissimus necessitatem historiae Iesu Christi directe  
 oppugnat, sed multa tamen cautione opus est, ne nimis  
 admirando nouam eius methodum explicandi miracula  
 a Iesu Christo edita veritati religionis christianae aliquid  
 damni afferamus, quod afferri auctor tamen a pagina  
 289 - 336 libri sui vetat.

§. II.

Mihi historiae Iesu Christi vsum et necessitatem  
 ad rem christianam fortiter defendendam ac promouen-  
 dam in hac dissertatiuncula pluribus exposituro, non  
 animus est, quemque, qui eam directe vel indirecte im-  
 pugnavit, ordine refellere; at operam dabo, vt causas  
 nonnullas conquiram, ex quibus patet, nos, quamdiu  
 nomen christianorum professuri sumus, necessitatem  
 historiae Iesu Christi tueri ac demonstrare oportere. Sen-  
 sationi nostri ad duo capita referri posse videntur. Alter-  
 rum, *neesse non esse*, vt fidei historiae Iesu Christi renun-  
 tiemus,

---

*f*) In *Versuch die Wundergeschichten des N. T. aus natürlichen Ur-  
 sachen zu erklären*, Berolini 1795.

tiemus, quia rationibus nititur sufficientibus, monstrabit; alterum, *nobis non licere*, absque multo rei christianae damno, huic historiae valedicere aut eam relinquere suspensam, incertam, tradet. Quae habemus ut ad haec capita illustranda ac probanda dicamus, in thesibus brevissimis, ut impensis et chartae parcamus, comprehendemus.

§. III.

I Neesse non est, ut fidei *historiae Iesu Christi* renuntiemus; nam fides, quam ei habemus, nititur rationibus sufficientibus, quae Sc. derivantur

A. *E natura rerum ab evangelistis de Iesu Christo narratarum.* Res enim, siue Iesum Christum natum, educatum, mortuum, caetera, spectent, siue eae ab eo gestae tradantur, sunt

a) per se *possibiles*; cur enim per se impossibile est, ante bis fere mille annos, virum nomine Iesum Christum vixisse, qui haud vulgari modo a virgine conceptus et natus, per spatium triginta et trium annorum vitam egit innocentissimam, probissimam, vtilissimam, qui ut doctrinae suae originem diuinam probaret multa edidit facta, quae vulgo miracula vocantur, qui per insidias hominis improbi, qui amicum simulabat in inimicorum suorum manus venit, tum multa passus supplicio crucis affectus est; at post trium fere dierum spatium e mortuis resurrexit, et quadraginta post dies mirabili modo de terrae regionibus se subducendo tandem in coelum est translatus.

b) *psychologicae et characteristicae*, ut ita dicam, *verisimiles*; si enim spectes orationes, facta, iudicia aliaque in historia Iesu Christi obuia, haec omnia egregie **convenire**

venire hominibus, de quibus sermo est, dabis, Verba enim, mores, resque ab Iesu inimicis gestae, quae ab Euangelistis traduntur, in hos non minus quadrant, quam ea ad Iesum Christum quadrant, quae ab eo dicta, facta, gesta referuntur. Accedit etiam, quod biographi Iesu Christi narrationibus suis simplicibus iudicia de hisce rarissime admisceant. Observabit denique quisque attentus N. T. lector, quae illi narrat de hominum moribus, eorumque modo sentiendi agendique, ea conuenientissima esse genio seculi, quo Iesus natus est et vixit.

*Observatio.*

Si quis ea, quae ante bis mille annos dicta aut facta sunt, ad modum hominum dicendi agendique hodiernum in omnibus examinare velit, ille forte etiam in Euangelistarum narrationibus dubia ac inconstantia seprehendisse existimabit; at haec earum possibilitatem et verisimilitudinem tollere minime possunt.

**B.** *Ex bona eorum qualitate, qui historiam Iesu Christi nobis conscripserunt. Fuerunt enim hi testes rerum a Iesu Christo factarum fide dignissimi, quoniam*

a) *veritatem narrare potuerunt.* Euangelistae enim et Apostoli fuerunt maximam partem *testes oculares*, dum plurimis dictis et factis intererant, quae a Iesu per tres posteriores vitae annos ore sunt pronunciata, gesta; nec ab iis aberant, quae ille a Iudaeis sibi inimicissimis est perpeffus. De veritate eorum testimonii in re Iesu Christi dati, non dubitat is, qui, praeter alia, insignem illam in narrando prolixitatem, cuius accusantur Euangelistae v. c. *Ioannes* in narranda historia de *Lazaro* ex sepulcro per Iesum Christum excitato, attente examinet.

B

veri-

- b) *veritatem narrare voluerunt*, etenim fuerunt viri simplices, dextri, qui
- 1) *ipsi decepti non erant*. Fuerunt enim in examinandis et diiudicandis rebus a Iesu Christo factis et verbis ab eo pronuntiatis (quod de nonnullis eorum vt Thoma et Luca constat) non *creduli sed* multo magis *increduli*. Ex his colligi licet se nihil verum habuisse, quod non aut ipsi viderant et audiuerant, aut a testibus fide dignissimis acceperant
- 2) neque *decipientes* erant; nam historia ficta salutis suae consulere non poterant, siquidem ex mendaciorum propagatione aut rebus fictis diuulgandis sibi non commoda terrestria oriebantur, sed potius maxima incommoda, persecutiones, paupertas, vincula, poenae carceris et supplicia crudelissima ad se veniebant, quorum exempla praeter Acta Apostolorum saeculi primi historia ecclesiastica N. T. nobis fatis superque praebet.

*Observatio.*

Quem in usum Iesus Christus discipulos suos decipere voluisset? Consilium enim eius fuisse, gentem Iudaicam ex seruitute Romana in libertatem pristinam ita vindicandi, vt ipse rex Iudaeorum constitueretur fabula est, quae omni veri specie caret; siquidem cum exitium vitae suae tristissimum discipulis suis saepissime praedixerit. Infinitas quidem ire nolumus, discipulos Iesu de regno Iudaeorum in hoc terrarum orbe per dominum suum restituendo false sibi persuasisse: at cum ille istius modi notionibus mentis falsis, quas habuerint discipuli, occasione data, contradiceret, cum hisce pro gloria ac diuitiis, quas in hac terra expectauerint, dedecus et paupertatem promitteret, quid iam commodi ex amore eius sincerimo, ex ficta eius historia in se redundare posset? Euangelistae scripserunt post mortem Iesu Christi eius historiam, narra-

narraueruntque eam clarissimis terrae populis, sc. Iudaeis, Graecis et Romanis, vt inaedificarent ei ecclesiam nouam, quod de veritate eius, de qua egregie sibi persuasum erat, luculenter testatur.

- C. Ex eo, quod monumenta litteraria, in quibus testimonium de Iesu Christo legitur, originem suam traxisse ab Euangelistis et Apostolis, quorum nomina prae se ferunt.
- D. Ex eo quod non solum Christiani eruditi, sed etiam haereticus, quid! quod auctores Iudaici et Romani fidem historiae Iesu Christi, quisque ex suo modo, confirmant g).
- E. Ex hac obseruatione, vt, si veritatem historiae Iesu Christi negare velimus, omnis cadat historiae profanae veritas necesse est; nam nec historiae *Alexandri M.* nec *Iulii Caesaris* aliaue pluribus certioribusque nititur testimoniis, quam historia Iesu et Apostolorum. Hominem autem, qui veritatem historiae illorum virorum negare vellet, iure meritoque mente captum esse iudicarem.

Denique ipsis ex Euangelis apocryphis veritas historiae Iesu Christi apparet.

#### §. IV.

II. Historia Iesu Christi a disciplina religionis et Theologiae christianae secerni non licet; est enim

A. magni momenti, quia

- a) fundamentum est, quo omnis religio christiana, si spectes tam partem eius dogmaticam, quam moralem, nititur, fundamento autem eius subruo, aedificium ipsum corruat necesse est. Si quis mihi obicere vellet, summam, vt omnis religionis, sic etiam christianae, consistere in doctrina morali, hanc vero, si religionem christia-

B 2

g) De C. et D. cont. praeter LARDNERVM, MICHAELIS, cum MARSH. LESS alique qui haec monstranda sibi sumserunt.

christianam respicias, sine historia Iesu Christi intelligi posse, huic responderem: tum non religione christiana, sed sola naturali se gaudere. Hoc tamen praetermissio, in disciplina doctrinae etiam moralis veritatem historiae Iesu magni esse momenti, *ex ipsa hominis natura* ostendi potest. Non vnusquisque homo tanta rationis vi gaudet, vt causas, quae nos mouent, vt virtutem exerceamus, meditando, ratiocinando, inuenire possit, eamque propriae eius praestantiae causa diligit eiusque studio se tradat. Igitur eiusmodi homini christiano necessaria est auctoritas, a qua dependeat, qua ad exercendam virtutem impellatur et moueatur. Quae vero auctoritas illa grauior ac praestantior esse potest, quam vita Iesu Christi? haec omnem de veritate et certitudine principiorum moralium, quae christiana vocamus, dubitationem tollit, eumque iis acquiescere iubet.

- „Ac esto, veritatem, quam Christus docuit  
 „aliunde quam ex historia Iesu Christi cognosci et  
 „stabiliri rationibus iustis posse: non tamen amat  
 „animus gratus eas angustias, vt praeter veritatem  
 „beneficii et magnitudinem nihil sciat, ignoretque et  
 „eius auctorem et modum, quibus autem neglectis  
 „saepe ipsa beneficia vilescunt, quibus autem rite  
 „cognitis sensus gratitudinis mirifice aciuntur et  
 „impelluntur“ Cl. DOEDERLEIN l. c. p. 7. dixit.
- b) *de biographia nullius viri, in quavis re excellentis, tam multae magnaeque oppositiones et defensiones, dubitationes et examinationes in lucem prodierunt, quam de vita Iesu Christi.* Nulla vero etiam omnes aduersariorum impetus, per spatium octodecim saeculorum in se factos, gloriosius et constantius a se repulit, quam haecce; quod mihi magnum eius veritatis et certitudinis argumentum esse videtur.

c) *Histo-*

- c) *Historia Iesu Christi et Apostolorum sublata, religionis christianae ortum et celerrimum eius incrementum et propagationem rite explicare non potes.*
- d) *doctrinae christianae et historia Iesu Christi arctissime inter se cohaerent. Illarum enim nonnullae sine historia hacce non satis intelligi possunt. Quomodo vis v. c. doctrinam: Iesum esse Messiam Abrahami posteritati a deo promissum, historia eius reiecta, cognoscere atque intelligere?*
- e) *Praecepta doctrinae morum et dogmata fidei, quae quiaem sine historiae respectu intelligi et explicari possunt, si coniungis cum historia et circumstantiis, sub quibus prolata et tradita sunt, distinctiora, grauiora et efficaciora reddantur necesse est.*
- f) *multae doctrinae in ipsa historiae fundatae sunt et ab hacce ortum suum quasi ducunt e, g. doctrina de resurrectione mortuorum tota fere nititur historia de resurrectione Iesu Christi, qua et firmatur (1. Cor. 15.) Hancce si negas et respicis, resurrectionem mortuorum ipsam quidem credere potes, sed certitudo eius multum minuatur, necesse est.*
- g) *Ioannes Apostolus a miraculis Iesu Christi magnum petit argumentum, quo homines ad fidem christianam vitamque aeternam consequendam excitat atque impellit Ioh. XX. 30. 31.*
- h) *Historia Iesu Christi dat nobis sat exemplorum, quibus sensus religionis christianae pii acuiuntur, nosque ad virtutis studium commouentur. Haec enim historia nobis vitam Iesu Christi eiusque agendi modum et animi sanctitatem ita commendat, vt hanc tamquam exemplar perfectissimum ad imitandum nobis propositam habeamus. Tolle historiam Iesu Christi et omnibus hisce egregiis doctrinae et vitae exemplis te ipsum priuauisti.*

B. *Histo*

B. *Historia Iesu Christi ad disciplinam religionis et Theologiae maxime necessaria est, quia*

- a) *Fides, in qua religionis summa est, adhaerescit quidem promissionibus rerum futurarum et bonorum inuisibilium (Heb. XI. 1.) tamen per historias etiam decurrit atque in his tirocinia sua ponit. Et in religione a facili ad difficile ducimur, a visibili ad inuisibile, a terrestri ad coeleste. Si igitur fides christiana, cui vita aeterna annexa est, non praetermittenda ab eo est, qui commodorum a Iesu Christo hominibus datorum, particeps esse velit, tunc nec historia Iesu Christi, quae fidei fundamentum est, ab hoc negligi et contemni potest. Inde commendat Paulus fidem mortis et resurrectionis Iesu Christi, quae sunt primaria vita eius capita (1. Cor. XV. 1 sqq.), hac ex causa coniungit idem historiam Iesu Christi cum pietate et salute christiana (Röm. X. 9. 1. Thef. III. 14.) eadem ex causa laudat vitam Iesu humilem, tanquam fontem felicitatis nostrae (2 Cor. VIII. 9.) et vult, ut Iesu Christi memores simus, (2 Timoth. II. 8.)*
- b) *Historia Iesu Christi apostolorumque doctrinis fidei morumque praeceptis in N. T. traditis, lucem accendit lucidiorem, ut supra monitum est.*
- c) *Veritate historiae Iesu et apostolorum sublata, diuinam religionis nostrae originem non satis probare valeremus. Nam absque ea Christianismum mundo iuniorem annis non esse facile defendi posse existimo. Quod verum esse aduersarii religionis christianaе accuratius, quam nonnulli eius defensores intellexerunt. Igitur et ex hoc capite necessitas historiae Iesu Christi tenenda ac defendenda elucet. De quo sic iudicamus:*
- d) *Histo-*



d) *Historia Iesu Christi fundamentum certitudinis religionis christianae est*, quod partim ex hactenus monitis, partim ex his colligi potest, scilicet

1) *ex ipsa religionis christianae natura*. Praestantissimam enim Euangelii partem agnoscimus in promissionibus beneficiorum, quorum amplitudine explere humanam indigentiam voluit liberalitas divina. Sed in omni beneficio promisso duo imprimis spectantur, alterum, ut pro modo et magnitudine id aestimetur, alterum, ut de veritate eius constet. Vtrumque autem caput, si applicatur ad insignia dei beneficia, plurimum adiuuatur notitia de Iesu eiusque actionibus, qua non solum ad ea maximi aestimanda ducimur, sed debemus etiam ei veram felicitatis summae cognitionem, quam nobis ille meruit. Quare videmus cum descriptione et spe bonorum euangelii haud raro coniungi laudem vitae passionis Christi, atque ex hoc velut fonte tantam ad homines deriuari felicitatem. V. c. parta nobis est peccatorum venia siue poenarum remissio. En beneficium dei! sed ut eius modum et magnitudinem recte cognoscas, additur tum eius causa, quae est *το αιμα τε υιου τε θεου*, per quem *απολυτρωσις* facta est Rom. III. 24. 25. quam conditio, quae est *πιστις εν τω αυτη αιματι*. Restituitur mortali hominum generi resurrectionis vitaeque aeternae spes, solatii plenissima; verum illa rursus allegatur fidei christianae per historiam resurrectionis Iesu Christi e mortuis nouumque, in quem rediit, statum confirmatae 1 Cor. XV. 17. 1 Thef. IV. 14. Multo autem maior utilitas historiae Iesu Christi est in spe implendae promissionis certa, et non fallaci. Etenim non temere speratur salus, quae rebus vere gestis innititur; neque conficta aut dubia

---

dubia sunt beneficia, quae e fonte vitae ac mortis Christi promanant. Tolle igitur historiam Iesu Christi et nulla iam nec promissionum certitudo, nec eius institutorum magna erit commendatio.

- 2) *ex eo quod Apostoli ipsi diuinam religionis christianae originem tam Iudaeis quam Ethnicis per historiam ipsam probauerunt, et hoc quidem modo, ut apud Iudaeos totius demonstrationis vim in consensu historiae Iesu ipsius cum prophetarum vaticiniis; apud Ethnicos autem in veritate historiae resurrectionis Iesu e mortuis ponerent.*
- 3) *ex disputationibus, quae a nostris de veritate resurrectionis Iesu Christi a mortuis atque de sine, quem Iesus Apostolique sua vita ac doctrina consequendum sibi proposuerunt, cum religionis christianae aduersariis saepius habitae fuerunt. Vnde Theologi in hisce disputationibus, veritate historiae Iesu Christi apostolorumque sublata, argumenta fumere potuissent, quibus de aduersariis triumpharent?*

Tandem

- 4) *ex eo, quod haec historia et doctrina morum christiana multum illustratur, iuuatur, confirmatur.*

§. V.

Ex hactenus disputatis, quae sufficiant, licet plura dici possent, si breuis esse non laborassem, videri atque intelligi potest, veritatem thematis nostri rationibus niti solidissimis.

---

---

 AVCTORI PRAESES
 

---

Est more maiorum laudabili institutum, ut, qui stipendiis beneficiisque in regia nostra literarum Vniuersitate adiuti ornatique fuerunt, priusquam triennio studiorum absoluto, sedem Musarum cum patria commutent, specimen eruditionis in lucem emittant, ex quo, et testimonium temporis sui in literis bene collocati peti, et gratus eorum animus in homines beneficos, quibus doctrinam suam in primis debent, cognosci possit. Quem morem, cui multi alii specie plerumque vana se subdixerunt, TV, mi STVCKERT! sequuturus, quod laudo comproboque, mihi tradidisti Dissertationem Theologicam, me consiliario fideli certe et amicissimo, a TE compositam, ut, ea perlecta, colloqui cum amicis doctis de hac publice habendi moderator ac arbiter essem. Quod a me petiisti animo lubenti faciam, etsi mihi persuadeam, TE, quaeque scripseris, absque auxilio meo esse defensurum. TV enim, qui literis humanioribus bene praeparatus a regio Ioachimico ad nos peruenisti, per tres annos, quibus ex commendatione fautoris TVI optimi, conuersatione mea usus es, totus in eo fuisti, ut adsequeris id, quod TIBI in vniuersitate proposueras. Praetermissis lectionibus caeterorum Doctorum rerum diuinarum ac humanarum, quibus assidue interfuisti, quod ipsi testabuntur, *Introductionem meam historico-criticam et exegeti in omnes libros N. T. tum Narrationem Historiae ecclesiasticae antiquioris et recentioris acui*, denique *Expositionem Octauii Minucii Felcis* caeteraque tanta industria audiuisti, ut nec vnam horam negligeres, nisi forte morbo quodam domi retinereris. Rem igitur TVAM strenue ac feliciter ages. Deus ter optimus maximus eam fortunet TEque quibuscunque bonis accumulēt. Scripsi xxx Maii MDCCXCVI.

---

Lege Dissert. p. 6. lin. 5. quod p. ut  
p. 13. lin. 15, leg. *hifloria* pro *historiae*  
— 15. — 23. — *disputa*

---

S. SANCTAE THEOLOGICAE  
DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO

AMICO PLVRIMVM DILECTISSIMO

S. P. D.

STEPHANVS KOZMA

TRANSYLVANO SIGVLVS

OPP. ORD.

---

**E**tsi stent in litore naues, et vela secundis innitent exposita flatibus, remigiaque iam iam ad fuscipiendum versus charissimam patriam Transylvanicam iter tetigerit nauta; tamen in aeternam Tecum coniunctae amicitiae tesseram, suscepi Munus a TE mihi oblatum Opponentis, vt sic eo magis eluceferet verum et perfectum inter nos viguisse amicitiae paradigma.

Secundis, itaque opto cordicitus incipias, a prouidentia Diuina TIBI destinatum V. D. Ministerium, auspiciis, colendo Religionem christianam a capite suo, Christo, Apostolis et Euangelistis comprobata, nec non Virtutem et Felicitatem, et ita viuas dum viuis, vt abinde nunquam poeniteat TE ita vixisse. Mei iam memoriam TIBI recomendo, nullaque vquam illam in TE debeat obliuio. Nam ego ad vltimum meae vitae halitum TVVS ero. Vale.  
Dab. Francof. ad Viadr. d. XXIX Maii MDCCXVI.

---

RE-

---

RESPONDENTI  
DOCTISSIMO AMICISSIMO

S. P. D.

K L V G E

S. S. THEOLOGIAE STUDIOSVS

OPP. ORD.

---

Rogatus a TE opponentis ordinarii partes libenter in me suscepi, cum ex isto officio, et summa voluptas, et utilitas mihi est capienda. Quid enim potest esse tam gratum et utile, quam disserere cum amico de thesibus, de quibus tam variae sunt doctissimorum sententiae? Quare ex causa, thesibus istiusmodi a TE in medium prolatis, aliqua opponere minime dubitavi, quae quidem non tam graua esse duco, vt argumenta in disertatione TV A, auctoritate virorum doctissimorum sapientissimorumque stabilita, prorsus refellere ac tollere queant; sed istas meas oppositiones id potius efficere velim, vt magis de veritatibus persuadear, quas TV in hacce disertatione defendisti.

Reliquum est, vt pro hoc specimine TVI erga me amoris gratias agam, TIBIQUE affirmem, me semper animo gratissimo TIBI amicum esse perseveraturum. Scripsi d. xxx Maii MDCCXCVI.

---

CAN-

---

CANDIDATO DOCTISSIMO  
DEFENDENTI DILECTISSIMO

S. P. D.

IOANNES THEODORVS WOIDE

LESNA - BORVSSVS

OPP. ORD.

---

Quamdiu TE cognoui, amicam TE mihi praestitisti; maxime vero  
eo, quod in me Opponentis prouinciam contuleris. Gratias TIBI  
pro hocce amicitiae TVAE erga me specimine ago maximas, simul  
ex animo TIBI gratulor de curriculo academico prospere peracto.  
Iam tibi, varia instructus doctrina, quo TE fata TVA vocant. Faxit  
Deus T. O. M. vt in posterum omnia TVA conanima felicissime eue-  
niant, et in sui ipsius gloriam, et in aliorum auxilium, et in TVA deni-  
que commoda. Valeas mihi que fauere haud desistas, hoc est, quod  
opto. Dabam Traiecti ad Viadrum, d. xxvi Maii MDCCXCVI.

---

Jg 1208

VD 18

ULB Halle

007 234 465

3



10







DISSERTATIO THEOLOGICA  
QVA  
HISTORIAM IESV CHRISTI  
A  
DISCIPLINA  
RELIGIONIS ET THEOLOGIAE  
CHRISTIANAE  
DIVELLI ATQVE SECERNI  
NEQVE DEBERE NEQVE LICERE  
OSTENDITVR

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME VENERANDO DOCTISSIMO  
IOANNE PHILIPPO FRIDERICO DETTMERS  
S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE IN VNIVERSITATE  
LITERARVM REGIA VIADRINA PROFESSORE PV-  
BLICO EXTRAORDINARIO SCHOLAE REGIAE FRIDE-  
RICIANAE RECTORE MERITISSIMO, SOCIETATIS  
REGIAE LITERARVM ET ARTIVM, QVAE FRANCO-  
FVRTI FLORET, SODALE ATQVE EIVS SECRE-  
TARIO PERPETVO  
DIE I IVNII MDCCXCVI  
BENEFICIORVM CAUSA, QVIBVS FRVCTVS EST  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
HENRICVS LVDOVICVS STVCKERT  
MARCHIVS  
S. S. THEOL. CVLTOR.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
EX OFFICINA APITZIANA,

